

XXIII.

Historia observationis Co-

metæ 1702 Ex

*J. Henr. Hoffmanni,**Ephemeridibus Anni 1703. excerpto.*

Mense Aprili anni 1702 novus in Cœlo Cometa hic Berolini animadversus est, confuso lumine prorsus instar nubis, & absque caudâ, magnitudine suâ omnes primi honoris fixas superans, quem tribus mihi tantum vicibus ob inconstantem aerem, & minus commodum locum observare licuit; cuius loca inter proximè circumstantes fixas hic subjicere placuit Fig. Fig. 65 65. Prima vice, scil. die Solis 23 Aprilis hora 10 vespertina Cometam conspexi propè stellulam Opiuchi, à Bayero litera f signatam, & quidem ita, ut angulum rectum cum capite Herculis & Opiuchi constitueret. Proxime sequenti die Martis, videlicet 25 Aprilis idem non procul aberat à Stellula α in dextro brachio Opiuchi; & insequenti die Lunæ, i. scil. Maji ob parvitatem ejusdem nudis oculis penè invisibilis erat, telescopio tamen eundem propè stellam α serpentis hærentem deprehendi, qui deum planè apparere desit.

XXIV.

N. Hartsoekeri.

Nova methodus utendi vel
maximis vitris objectivis.

Quando vitra objectiva excedunt longitudinem 50. aut 60. pedum, difficillimus est tuborum usus, & flante vel minimo vento prorsus inutiles sunt; Si autem excedunt 80. aut 100 pedes, aurâ etiam planè tranquillâ tuborum usus nullus est. Ut itaque ejusmodi vitrum commodo usui esse posit, includatur quadrato ligneo basi imposito, in quâ vitrum ita erigatur